

omnis Spiritus Dei domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite ignis & aëstus domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite frigus & aëstus domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite rores et pruina domino, laudate, et superexaltate eum in secula. Benedicite gelu & frigus domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite glacies & niues domino, laudate, & superexaltate eum in secula.

H Benedicite noctes & dies domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite lux & tenebrę domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite fulgura & nubes domino, laudate & superexaltate eum in secula. Benedicat terra dominum, laudet, & superexaltet eum in secula. Benedicite montes & colles domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite vniuersa germinantia in terra domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite fontes domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite maria et flumina domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite cete, & omnia, que mouentur in aquis domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite omnes volucres cęli domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite omnes bestię & pecora domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite filii hominum domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicat Israel dominum, laudet, & superexaltet eum in secula. Benedicite sacerdotes domini domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite serui domini domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite spiritus et anime iustorum domino, laudate, et superexaltate eum in secula.

Benedicite sancti & humiles corde domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Benedicite Anania, Azaria, & Misael domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Quia eruit nos de inferno, & saluos fecit de manu mortis, & liberauit de medio ardentis flammę, & de medio ignis eruit nos. Confitemini domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordię eius. Benedicite omnes religiosi domino Deo deorum, laudate, & confitemini ei, quia in omnia secula misericordia eius.

Hinc uq; in Hebręo non habentur, & que posuimus, De Theodotionis editione translata sunt. Sunt tamen uera, & a Sancta ecclesia catholica approbata.

¶ Benedicite omnia opera domini domino. Hoc est, omnia quęcũque fecit Deus, ipsum benedicite, & laudate, ei gratias agentes, & gloriam eius celebrantes. Quod quis ardentiore amore aliquem amplectitur, eod̄ uolentem impetu alios ad eius laudes concinendas inuitat, & allicit. Hi tres pueri amore erga Deum inflammati omne studium conferebant ad eius bonitatem gloriamque celebrandam. Eam ob causam omnes res creatas generaliter, deinde vnamquamque præcipue ad diuinorum laudum præconium uocant. Illud est hoc loco aduertendum, duplicem esse benedictionem, vnā, qua munus vel beneficium aliquod confertur vel in re, vel in uoto salteram, laudis & gratiarum actionis. Prima benedicit Deus rebus creatis, & homo etiam hominũ. Propterea dixi, vel in re, propter Deum, vel in uoto, propter hominem. De hac loquitur scriptura Genesis nono dicens, Deum benedixisse Noe: & Genesis quattodecimo, cum ait, Melchisedech benedixisse Abrahamo. De ea ait apostolus septimo ad Hebręos: Sine ulla contradictione quod minus est a meliore benedici-

Gen. 9.

Gen. 14.

Hebr. 7.